Hernies de cerveau
tumeur fongueuse
de la dure mere

Michaëlis Angeli Grimi

De Ingenti Tumore in capitis regione Laeva

Historia Tertia medico-cheirurgica Longè singularissima.

Baldassar Francisci Russi Le Lous, vigesimum primum Annum agens perspicacis ingenio, temperamento Sanguinei, nec non gracili corpore, superiori Anno accessit ad Nosocomium Sacrae Religionis Hierosolimitanae, utpote, qui ingenti Tumore, totam capitis regionem atque partem colli Lateralem superiorem Laevam replente, Laborabat. Is ~~maximè~~ autem maximè fragrabat desideriis, ejus ut Tumorem inspicerem, et adamussim de ejus eventu, ac curatione consilium meum exponerem. Itaque attentè circumspicere eum coepi; cujus moles adeo magna erat, ut caput secundum constituere videretur. Ambitus, et ejus basis etiam ampla, et malè rotunda. Auris è meatu osseo Auditorio omnino avulsa: sedem atque directionem paullum mutavit. et ejus Lobus obliquè pertingit per angulum, maxillae inferioris majorem ita ut non si

ne

ACADEMIE NATIONALE DE MEDECINE BIBLIOTHEQUE

ARC 43
n° 148

ne difficultate tota Auris videretur. Illa in parte ipsius Tumoris quae angulum Labiorum Laevum respicit non parvam cicatricem, ex apertione cadenti ferramento ab istis Medicis Cheirurgichis siculis instituta, deductam vidi.

Superiore verò circumferentiae ejus basis par=te instar ossis durissimam atque compa=ctam, totaque in estensione ubi durus, et scirrhosus, ubi mollis, et fluctuans, et ubi pul=sans. Cum tandem visu tactuque omnia minutim deprehenderim, ex eo sciscitatus sum quae causa erat hujusce Tumoris occasionalis. Tum ille quinto abhinc Anno Glandulam maxillare aliquantulum esse scirrhosam animadverti: qua de re in Nosocomium venit ad curationem recipiendam et ab ejus Satralipbis frictio=nes argenti vivi administratae fuerunt: et Sela tandem profectus. Nihilominus amplior semper factus est Tumor: ut nuper adaperui.

Ex hactenus expositis, Tumorem hunc praeternaturalem ex Glandulis scirrhosis, Arteriis ac Venis dilatatis, Panniculi adipo=si suppuratione, ossium cariae, et Cerebri Hernia constare, putavi. Ideo nullam curationem proponere ausus sum. Attamen subjicere se quoquomo=

quo

que auxilio etiam immani, quod
afferre possit Medicina Cheirurgica his
morborum generibus, ei maximè cordi
non erat. Dum ergo magno, et erecto
animo eum esse vidi. Illmum Domi=
num Fratrem Aloisium Desperriers
valetudinarij Praefectum, qui cum
universali approbatione Nosocomium
hoc spatio annorum decem prae=
clarissimè gessit, hanc rem edocui,
et petivi; ut caeteros Professores con=
gregaret ad eorum sententiam
dicendam. Hujusmodi fuit.
Habita enim consultatione, omnes
eum observarunt, et eorum [struck]
unusquisque opportunè mentem suam
explicavit, et ego quoque (ut paullo
supra scripsi) narravi. Inter hos
praeclarissimos Professores quidam
tantummodo Danaus, quod fieri nequit
cerebri Hernia. Postremò omnes una=
nimes, hunc Tumorem propter maxi=
mum periculum nullam admittere
curationem, statuimus. Postquam
ab omnibus sententia mea confirmata
et magis magisque corroborata, omnes
preces

ACADÉMIE NATIONALE DE MÉDECINE BIBLIOTHÈQUE

preces praedicto valetudinarij praefecto adhibui, ut eum detineat ad ejus exitum observandum: et id libenter ei, cum permissu Serenissimi nostri Principis Regnantis Fr. D. Emmanuelis Pinti concessit: et meae curae eum commisit. Paucis diebus post, quae mollis, et fluctuans, supra diximus, pars suppurationem parare, coepit. Quamobrem illud admirabile Emplastrum supradicti Serenissimi nostri Principis, quod citò pus movet, adhibuit. Pars enim haec maturescit, atque perse erumpit: et exijt ex ea non parva puris saniosi copia, quod à Graecis (ἰχώρ) ichor vocatur una cum pluribus ossis cariosi, ac cerebri substantiae dirutae fragmentis. Itaque ex aqua tepida elui ulcus, et dedi linamentum siccum in id, ut a vi medicamentorum non stimulentur et exasperentur illae tam delicatae partes. Et ita processi toto curationis curriculo. Tamen ob aeris admissionem identidem fiebant novae inflammationes cum horrore aut etiam febriculam, quae permanebant penitus condita suppuratione.

re. Hoc habitu vitam degit quatuor penè mensium spatio: et VIII. Kal. Novembrias MDCCLXIV. mente subito est lapsus, ulcusque aridum factum, et febris increta; et V. Kal. mense, et Anno vertente è vita discessit.

Ut viderem ne id omne quod de natura hujus Tumoris supra excogitavi experimentali veritati esset consonum, Anatomicam ejus sectionem institui. et inprimis cutem, quae partem ejus reliquam tegebat, venustè Anatomico scalpro amovi, et partem illius panniculi adiposi, quae remanebat, infarctam atque duram, et omnes Glandulas, quae circum osseam foraminis circumferentiam sunt scirrhosas, ac carcinomatosas etiam, reperimus. Temporalis arteria, et vena, quae simul it, è naturali earum situ recesserunt. et supra eandem osseam circumferentiam eas invenimus. Hae autem, propter nimiam laxitatem seu atoniam in fibris, ex quibus earum Tunicae constabant, erant in tota earum longitudine modò valdè angustae, modò valdè amplae ita ut partes angustae concretae penè essent,

et

et amplae aneurismaticae, ac varicosae.

Totum auditus organum omnino ~~de~~ omnino destructum, ubi apertè videtur in fig. III.

Omnibus exinde his partibus circumspectis, et annotatis, foramen in tota ferè parte squammosa ossis temporalis magnum et reliqua pars ejusdem ossis prominebat, et oram irregularem osseam constituebat, quae habebat in tota ejus ambitus extensione plurima parva foramina dubio procul producta ex superimposito argenti vivi unguento frictionum tempore, inspicimus. Praeter illam Cerebri partem, quae pariter cum ejus membranis Herniam constituebat, magnam copiam corruptam excretam esse, et non subsistere nisi tertiam ejus partem inflammatam ac quasi etiam corruptam vidimus. Tandem ejus caput pura in aqua macerare, et postea insolare posui: ut idem servarem tale quale devideretur: et post hac Anatomes Artificia observavimus in intima orae parte quamdam in calcem reductam materiam.

ex

Ex visis igitur et expositis, et repertis mani=
festè colligere possumus unde Tumor hic
initium coepit, et in dies amplior semper
factus.

Ab ejus pueritia (ut suus Parens mihi ajt)
duarum illius partis Glandularum moles
modò increscere, modò decrescere videba=
tur. Septennis autem factus mutatio haec
desistitit. sed ex his Glandulis tantum una
duritiem conservavit, et magnitudinem
quanta est moles nucis, quae semper in=
crevit admodum, qui apparet in Tab. I.
et II. Quamobrem ejus Parens, eum
ducere hoc in Nosocomium (ut narratum
est) coactus fuit. Ex qua narratione in=
fertur corollario morborum strumarum
instar fuisse, dein scirrhosum. Unguen=
tum verò argenti vivi appositum, morbus
non modo extinxit, verum etiam au=
xit

ACADEMIE NATIONALE DE MEDECINE BIBLIOTHEQUE

Enim vero mercurius ut in confesso est
apud omnes, omnium corporum auro
excepto est ponderosissimus, et maximè
divisibilis omniaque penetrans corpora
praeter vitrum (ergo gravitate ejus
specifica (ubi a Cl. Newtono, et Ruberto
Gherardio eruditissimo Patritio Florentino
demonstratum est) agit: et in nostrum
corpus

corpus semel ingressus non agit in fluida, nisi minimis in vasis, ut experientia rerum omnium magistra teste Boerave nos docet.

Cum sit ergo ejus vis Sanguinis major, fibras, ex quibus minimorum Tunicae vasorum constatit, impellere debet. Hac de causa earum elaterio, quod ad circolationis processum est necessarium, omnino deficere oppotebat. Quare illa in parte sanguinis circolatio abrupta, et illa vitia varia, ex quibus consequebatur Tumor hic tam ingens, qui suapte natura fuit immedicabilis, exorta sunt.

Mercurij tandem actio, et vis, in dividendo, ac dissolvendo fluidorum molleculas nimis inter se compactas, consistit, et consequenter omnes humores in aquae subtilitatem redigit, et partes solidae magis magisque inter se coherent, et duriores ac scirrhosae fiunt. Ergo in his morborum speciebus mercurij usus pernicius atque alienus est: ut Dominus de la Faure magni nominis Medicus-Cheirurgus Lugdunensis, in ereditissima ejus Dissertatione de strumis seu scrophis inserta III Regiae Academiae Medicinae Cheirurgicae Lutetiae Parisiorum gallicé inscripto Prix de

l'

l'Académie Royale, qui pro certo affirmat p. 29. et 37. „mercurium strumarum sanatione etiam a vitio Aphrodisiaco singulare atque efficax remedium non esse„. Dominus de Gaursaud medicus-Cheirurgus etiam natione Gallus in ejus Dissertatione eodem de Argumento inserta in ipso Tomo istius Regiae Academiae p. 302. et 303. Argenti vivi inunctiones, in strumis curandis, lue venerea ~~minime~~ implicitis, nullum habere locum, asseruit: ad cujus rei veritatem confirmandam exemplum cujusdam Puellae adduxit, quae duabus strumis laborabat: et ait, mercurium hujus morbi causam non conficere, quia idem morbus alibi repullulavit.

ACADÉMIE NATIONALE DE MÉDECINE BIBLIOTHÈQUE

In Cancris generatim uti mercurium periculosum est: refert Cl. Ledranus in ejus dissertatione. De cancro inserta in actis ejusdem Academiae Tom. III. p. 33. et revera Graeci Auctores quamvis strumas, scirrhos, et Cancros noverunt, mercurio non se immiscuerunt, quia propter nimiam ejus gravitatem, ore captu

rum ut

rumpit, et lacerat intestina, et mortem
afferre crediderunt. In ea fuit opinione
inter ~~[illegible]~~ caeteros Dioscorides in lib. V.
De re medica Cap. XIX, ac in lib VI. Cap.
XXVIII. in eadem etiam sententia Aristo=
telis quem sectari placuit Theophrasto
ejus discipulo.

Primi, qui mercurium extrinsecus ad
pedunculos interficiendos ~~[illegible]~~, et
omnes morborum cutis species curandas
in medicinam introducere, auderent,
Arabi fuerunt. ~~[illegible]~~ E vestigijs eorum
usque ad anno 13000 ante scientiarum
ac artium ortum multi non ingredi
desierunt, qui magnum nomen acqui=
vere, et pote qui mercurio varias un=
guentorum species composuerunt, nihil
ominus tamen medici Empirici cum
nostris temporibus adhibere curarent
quem illi neglexerunt.

Quapropter Tumorem hunc esse
strumosum, et dein Scirrhosum com=
pertum habemus, et cum argenti vivi
unguenti administratione, omnes illius

partis

partis fibrae elaterium omnino amiserunt: et mercurius ipse commixtus cum humore scrophulare factus est rodens, et totam illam ossis temporalis partem rosit, adeo ut Cerebri impulsionibus resistere non potuisset, et ex hoc cerebri Hernia orta est. Ergo mercurium in his morborum generibus specificum rimedium non esse, satis demonstratum est.

Finis

ACADÉMIE NATIONALE DE MÉDECINE BIBLIOTHÈQUE

ARC 43 n°148

Tab. I.

Explicatio

AAAA Tumoris Figura et moles.
bbb Pars ejus mollis quae cerebri Hernia constituebat.
c cicatrix producta ex apertione cadenti ferramento
D Laeva Auris.
EEE Pars dura atque scirrhosa hujus Tumoris

Tab. I.



Tab. II.
Explicatio.

FFFF. Vera Tumoris moles ac Figura extra-situm

GGG. Pars ejus mollis quae constituebat cerebri Hernia.


HHH. Pars ejus suppurata

IIII. Pars dura atque scirrhosa

L. Cicatrix

M. Auris

Tab. 11.



ACADÉMIE NATIONALE DE MÉDECINE
BIBLIOTHÈQUE

Tab. III.
Explicatio.

N Os Frontis

O Sutura coronalis

P. Os Sincipitis ~~de~~ Laevi

qqqqq Sutura Squammosa vel spuria.

rrrrrrr Tota ossis temporis extensio

sssss Foraminis circumferentia insignis per quam Cerebri Hernia formatur.


tttt parva atque plura foramina producta ut opinatur ex calcinazione ~~mer~~ Argenti vivi.

u vestigia Zigomatici processus

xxx Tota portio petrosa, et organum auditus osseum destructum.

yy Parva ~~Lamella~~ ossis occipitis Lamella cavi-ata.

Tab. III.



ACADÉMIE NATIONALE DE MÉDECINE BIBLIOTHÈQUE

theorie du cadran
avec la figure

N°. 297.